



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput VII. Excusationes, quas pro Beneficiorum pluralitate asserunt,
frivolae, ac vanae sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

VI. *Excusationes, quas pro Benefic. &c. 547*

nobis certamen (Hebr. 12.). Quod ut rite exequamur, illud quoque præstemus, quod subiicit Apostolus inquit: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

CAPUT VII.

Excusationes, quas pro Beneficiorum pluralitate afferunt, frivola, ac vanæ sunt.

Duo hominum genera Beneficiorum pluralitatem sectantur: ii primum, qui, an ab Ecclesia damnata sit necne, non inquirunt, de suarum avaritia & vanitate explenda solliciti: alii deinde contra sanctos Canones peccare nolunt; sed Papam putant posse in hac dispensare; & hac dispensatione munitos plura Beneficia tuto conscientia possidere se posse arbitrantur.

Ego vero de legitima hac Papæ auctoritate dubitare non vereor. Scio Papam veluti Ecclesiæ caput Canones, qui ad disciplinam spectant, interpretari posse, & in iis dispensare; sed non ex auctoritate absoluta, hanc siquidem Pontificibus auctoritatem Christus contulit *in ædificationem, & non in destructionem* (2. Cor. 13.), & ut ea utantur *non ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo* (1. Petr. 5.). Canones sunt sanctæ, sacræque leges, quæ a Conciliis pro Ecclesiæ regimine sunt conditæ: illas congregatis Episcopis sanctus Spiritus inspiravit, & cum reverentia Ecclesia tota suscipit;

pit; adeo ut merito sanctus Leo Papa dixerit
*Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi
 reverentia consecratos.* Dispensationes harum
 regularum sunt exceptiones; oportet ergo ut
 instar regularum sanctæ sint, eodem igitur spi-
 ritu ac regulæ tradi debent, idest cum Ecclesiæ
 utilitas exigit, ne leges ipsæ serventur.

Cardinalis Bellarminus, qui Papæ auctori-
 tem adeo amplificat, in admonitione ad nepo-
 tem suum, argumentis illorum respondens,
 qui ex Papæ dispensatione plura Beneficia possi-
 dere se posse putant, expresse ait, hanc dispen-
 sationem sine rationabili causa factam valere
foro fori, sed non in foro poli (*Controv. 5. de
 multipl. Benef.*), hominum nempe, non Dei
 iudicio.

Lessius pariter docet, dispensationem plura
 Beneficia possidendi sine legitima causa factam
 iurum in conscientia illum non reddere, qui
 hanc obtinuit; sed debere uno Beneficio retento
 cætera dimittere. Hujus decisionis duas essent
 causas. Prima est, quia Papa non est Beneficio-
 rum dominus, sed dispensator; fidelis autem
 dispensator bona sibi commissa non pro libito
 debet distribuere, sed juxta rationabilem domi-
 ni voluntatem, & in eorum utilitatem, quorum
 intuitu bona sibi sunt commissa, videlicet Ec-
 clesiæ & pauperum. Alia hujusce Casuistæ ra-
 tio est, cæteroquin satis ampla, quia Beneficio-
 rum pluralitas divino & naturali juri adver-
 tur: porro Papa sine justa & rationabili causa
 in iis dispensare nequit, quæ divini juris sunt,

VII. *Excusationes, quas pro Benefic. &c. 549*

ut violationis hujusmodi omnis cesset turpitu-
do (*lib. 2. de Benef. cap. 34.*).

Dominicus Soto ait: *Hic cavillus securos
multos reddit, tutum vero neminem; quoniam
Papa non est dominus, sed dispensator, ideoque
qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis cau-
sa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur
iniquitate (lib. 3. de just. & jure qu. 6.).*

Ante istos auctores Guilielmus Parisiensis
scripserat, de jure esse Apostolicas dispensatio-
nes juridice datas; sed Papam, qui cum aliqui-
bus dispensat, ut plura Beneficia habere possint,
non dispensare, neque dispensare posse, ut ava-
ritiam, vanitatem, & ambitionem foveant, cum
has in Ecclesia pestes nec possit, nec alere de-
beat, nec dissipationem invehere temporalium
bonorum, quæ victui ministrorum Dei sunt at-
tributa, & in hunc finem Ecclesiæ donata sunt
(*de collat. & plur. Benef.*).

Sanctus Thomas ait, non licere plures simul
habere Præbendas, quæcumque tandem dispen-
satio obtineatur; cum humana dispensatio juris
naturalis vinculum non possit infringere, sed
solum juris positivi vinculum, quod cum ab
homine positum sit, potest ab homine tolli
(*Quodlibet. 8. art. 15.*).

Idem tradit Cardinalis Cajetanus inquiring:
*Nec excusatur peccatum mortale propter dispen-
sationem Papæ sine rationabili causa, quoniam
dispensatio Papæ cadit supra jus positivum, &
non supra jus divinum aut naturale: pluralitas*

autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum & naturale, quo communia Ecclesie bona distribui juste debent partibus Ecclesie (in Summula verb. Benefic.). Igitur cum hujusmodi dispensationes concedunt Pontifices, plerumque a petentibus decipiuntur, & ipsi sepe errare possunt, putantes exempli gratia Cardinali aut Episcopo ad suam tuendam dignitatem ampliores redditus necessarios esse, quum revera oporteat juxta Ecclesie regulas, qui eorum familiis superfluitatem & vanitatem removeant. Denique repetere illud possumus, quod Papae Eugenio scribebat sanctus Bernardus, nempe: *Sic facitudo probatis vos habere potestatem, sed justitiam forte non habere. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debetis, quaestio est. Quid, inquis, prohibes dispensare? Non: sed dissipare. Non sum tam crudelis ut ignorem positos vos dispensatores, sed in utilitatem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniat. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio, si utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est (lib. 3. de Consider. cap. 4.).* Eximius est hic textus, qui omnia complectitur, quae hac super re sunt dicenda. Neque parum obsequiosus Auctor dici potest summum Pontificem, de cujus auctoritate tam magnifice loquitur; laudandus imo est quod reverentiam tam strenue tutatus sit.

Eadem libertate usus est ad Theobaldum scribens Campaniæ Comitem, quem summe diligebat; cum enim ab hoc Principe rogatus fuisset, ut ab Eugenio Papa III. alterum filio suo Beneficium impetraret, eidem in hæc verba respondit: *Scitis quia diligo vos, sed quantum, novit Deus melius quam vos. Me quoque diligere vobis non dubito, sed propter Deum, quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus: offendo autem procul dubio, si facio quod requiris. Nam honores & dignitates ecclesiasticas non ignoro debere illi, qui ea digne & secundum Deum administrare & velint & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro, vel precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic duras sermo, & placet quod cogitatis implere, parcite mihi; in hoc Willelmulo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum; hinc est quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum: quod si alius secus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum.*

CAPUT VIII.

Argumenti ejusdem continuatio.

Altera ratio, quam ad Beneficiorum tuendam pluralitatem nonnulli afferunt, & generalis hujusce sæculi consuetudo, quam absque diffi-